



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Quidditas propria & definitiones virtutes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

per seipsum bene operari; cum aliis, atque ad alios facile. Sexta. Beatus gaudet videre actus bonos, quia est bonus. Septima. Fuerit etiam virtutis exercitatio ex conuictu bonorum. Octaua. Iucundum est scire se viuere: ergo iucundum est videre amicum viuere; quia amicus est alter ipse, & videns amicum, videt seipsum. Vide cætera lib. 10. citato. Concludo cum Augustino, nihil homini amicum sine homine amico.



DISPUTATIO II.

De virtute morali generatim.

Arist. 2. Ethic. & initio 3.

Virtutis encomia,



Elicitatem sequitur virtus, quia illam necessariò antecedit, cuius & proles & mater est. Facit enim virtutes omnes felicitas, quas coronat; & felicitatem sola virtus efficit, pro qua pugnat: æqualis tantæ matri soboles, si prosapiam spectes, quæ utrique diuina est; sed tamen maior, si attendas iucunditatem, quæ nulla inest virtuti, nisi ex spe ipsius beatitudinis. Mellea enim felicitas est, inquit Ennodius, quâ condiantur fella virtutis; acerbæ virtus est, & non nisi melle viuunt; in cælo habitat, dum militat in terris; & illic triumphat, pro quo adhuc dimicat. Natales in Deo primos habuit, & ad illum redit; in cælo nata originem suam repetit, semper sursum nitens, & sursum ferens, ἀναγὰς ἀναγὰ, inquit Nysenus.

Pretium eius si quæras, margarita est, inquit Methodius, quæ non est impuris voluptatibus, ut porcis obicienda. Si maiestatem, data illa est homini pro regia purpura, quo cultu nihil magis regium esse potest, Nyseno teste. Si pulchritudinem, colores illi sunt, quibus in nobis imago diuina pingitur, inquit Ambrosius. Angelicus fulgor, quo vestiebatur homo, licet nudus creatus, & constitutus Rex totius creaturæ, ut ait Basilius; imò radij diuini vultus, & totum Dei lumen splendens in vultu animæ.

Ad virtutum ergo considerationem statim progreditur, & in ea tota occupatur Moralis: explicat eas Philosophus ab initio libri secundi, tanquam media ad felicitatem; orditurque ab iis quæ sunt generalia virtutum; ubi tria sunt explicanda. Primò ea quæ spectant generatim ad naturam virtutis: secundò quæ spectant ad actum: tertio quæ spectant ad eius materiam; ubi dico plenè de passionibus: duo priora non nisi obiter propono, quia plenior eorum tractatio 1.2. posita est.

QVÆSTIO I.

De iis, quæ generatim spectant ad naturam virtutis.

Sic complector ea omnia, quæ habet Philosophus toto secundo libro, ubi quatuor primis capitibus causam explicat virtutis efficientem; quod pertinet ad quæstionem, an sit. Genus proprium cap. 5. integram definitionem cap. 6. diuisiones cap. 7. proprietates quasdam cap. 8. & 9. Ego eadem quatuor paucis declaro: primò virtutis de-

A finitiones: secundò diuisiones: tertio proprietates: quarto causas.

SECTIO I.

Quidditas propria & definitiones virtutis.

Ad intelligendam ergo propriam naturam virtutis, proponit Philosophus primò verum illius genus: secundò differentiam: tertio integram definitionem.

§. I.

In quo genere sit virtus.

Arist. lib. 2. cap. 5.

Idest, utrum virtus sit habitus, & utrum habitus sit verum genus ad virtutem & vitium.

Dico primò virtutem omnem moralem esse verum habitum, idest qualitatem acquisitam per actus, & ad eos inclinantem.

Primò enim argumentatur eximie Philosophus cap. 5. illo 5. Necesse est virtutem esse, vel affectum, vel potentiam, vel habitum; hæc enim tria solum sunt in anima: affectus vocatur ira, cupiditas, timor. Potentia quibus idonei efficiuntur ad hos effectus suscipiendos, ut quibus dolere possumus, vel irasci, habitus dicuntur, quibus nos bene aut malè habemus ad ipsos effectus, ut si ad irascendum vehementer vel remissè sumus dispositi, malè habemus; si autem mediocriter, bene: virtus non est affectus, aut potentia: ergo est habitus. Probat non esse affectum; virtutibus enim & virtutibus laudamur aut vituperamur: ob affectus neque laudamur, neque vituperamur; non enim qui metuit, aut irascitur, laudatur; neque qui simpliciter, sed qui modo quodam irascitur, vituperatur: ergo virtutes non sunt affectus. Deinde aut sunt electiones, aut non sunt sine electione: irascimur & timemus sine electione: ergo, &c. Præterea virtutes non sunt potentia, quia nemo laudatur aut vituperatur quia potest irasci aut timere simpliciter: & naturæ potentes sumus; virtutes autem & vitia non sunt ex natura.

Secundò argumentatur cap. 1. ubi quatuor rationibus eximie demonstrat virtutem consuetudine generari, quod est illam esse habitum. Vide omnino illas. Tertio probat cap. 3. Ille verus est habitus, cuius acquisiti signum est voluptas, quæ in operationibus aduenit. Atqui signum acquisitionis virtutis est voluptas, quam quisque sentit faciendò actiones virtutis; qui namque à corporis abstinere voluptatibus, si hoc ipso gaudet, temperans est; si molestè fert, est intemperans.

Dico secundo, habitum, qui dicitur virtus, physicè sumptum, subiectum esse virtutis, non autem genus; sumptum autem moraliter, genus esse ad virtutem & vitium. Idest rationem virtutis & vitij posse separari, & esse accidens illius habitus, qui est virtus aut vitium, sumpti entitativè; esse autem essentialiter habitui sumpto moraliter. Consideratur physicè habitus, quando consideratur sola eius entitas: consideratur moraliter, pro ut inclinatur ad actus qui sunt cum libertate & aduertentia rationis.

Ratio igitur est, quia si habitus ille, qui est virtus, inclinatur aliquando ad actus, qui non sunt moraliter boni, ratio virtutis non est intrinseca illi habitui secundum entitatem suam considerata: sed habitus ille, qui est virtus, inclinatur ali-

Quæst. I. Sect. I. Definitio virtutis. 547.

quando ad actum, qui non est moraliter bonus; inclinatur enim etiam ad actus, qui sunt sine deliberatione aut advertentia; imò potest idem fieri de bono malus, & de malo bonus, ut constabit ex quaestione sequenti: ergo bonitas non est intrinseca habitui & actui virtutis, sed est accidens ab iis separabile. Si tamen habitus sumatur ut est moralis, certum est, rationem virtutis esse illi essentialem; quia moralitas dividitur adæquatè in bonitatem & malitiam, tanquam in duas species oppositas: ergo habitus, prout est moralis, est genus ad virtutem & vitium. Sed hæc postea.

§. II.

Verum mediocritas sit propria differentia & obiectum virtutis moralis.

Aristot. lib. 2. cap. 6.

OPorter autem non solum ita dicere virtutem habitum esse, sed etiam qualisnam habitus, inquit cap. 6. ubi probat differentiam virtutis esse mediocritatem, vel potius electionem mediocritatis: explicat ergo primò, quid sit & quod duplex sit mediocritas: secundò probat virtutes omnes versari circa mediocritates: postremò quædam hinc elicit corollaria.

Medium quid sit.

Dico primò, medium, seu æquale rectè definiri, quod nec exsuperat, neque deficit. Probat Philosophus, quia in omnibus continuis, & in quolibet divisibili sunt tria, plus, minus, & æquale; quæ tria ita se habent, ut æquale sit medium inter plus, quod pertinet ad superabundantiam, & minus, quod pertinet ad defectum.

Medium duplex.

Duplex tamen, ut ait ibidem Philosophus, potest esse medium; alterum respectu nostri, appellatur medium rationis; alterum ex parte ipsius rei, vocatur medium rei. Medium rationis est quod nec exsuperat, nec deficit, nec est apud omnes unum; quod nimirum sumitur per comparationem ad ipsum agens, ideoque non consistit in indivisibili, neque distat æqualiter ab extremis, nec est apud omnes idem. Medium rei est illud, quod æquè distat ab utroque extremo, & estque apud omnes idem; quaternarius v. g. semper est medius inter binarium & senarium.

Virtutis moralis obiectum.

Dico secundò, nullam esse virtutem, cuius proprium obiectum non sit aliqua mediocritas, id est aliquid medium inter excessum & defectum.

Probat Philosophus quatuor rationibus. Prima est, quia omnis ars & scientia activa, quando perficit suum opus, coniectrix medij est; redigit enim illud ad quoddam medium: virtus est præstantior omni arte: ergo ipsa multò magis respicit medium. Probat maior ex communi proverbio; dici enim solet de opere bene factò, quod ei nihil addi aut demi potest. Minor autem patet, quod virtus arte præstantior sit; quia ars solà cognitione contenta est, non autem virtus. Ars versatur circa solam cognitionem, & externum opus, non circa bonum ipsum operantis, sicut virtus. Ars ad bonum & malum est indifferens, nec bonum facit ipsum operantem. Secunda ratio. Circa illud solum versatur virtus, quod solum laudatur in affectibus & actibus; circa eos enim solum occupatur, solaque laudabiles eos efficit, cum sine ipsa sint vituperabiles: sed in affectibus & actibus illud solum laudari solet, quod est medium; cetera si exsuperent, vel deficient, vituperantur, ut inductione constat. Tertia. Circa id versatur virtus,

A quod est difficilius: sed est difficilius inuenire medium, facile autem exsuperare vel deficere, quia difficile est attingere medium, facile autem illud non attingere; medium enim non attingitur nisi vno modo, pluribus autem modis potest non attingi. Quarta. Virtus circa illud occupatur, quod certum ac finitum est; quia infinitus excessum, & defectibilitatem numerus est, finitus bonorum; medium finitum est, extrema per exsuperantiam & defectum sunt infinita. Merito ergo Nazianzenus virtutes omnes dixit esse modos; & Philo virtutes appellavit vias regias, quòd circa medium omnes versentur.

B Dico tertio, medium circa quod virtus moralis versatur, non esse medium rei, sed medium rationis, seu medium illud quod ratio determinat pensatis omnibus circumstantiis, ita ut si hoc fiat, neque plus fiat, neque minus, quàm oportet.

Medium rationis obiectum virtutis moralis.

Ratio est, quia bonitas actus cuiuslibet est conformitas cum recta ratione; conformitas autem, & quasi æqualitas actus cum recta ratione, illud ipsum est, quod appellatur medium rationis: ergo virtus versatur semper circa medium rationis. Non versatur autem quælibet virtus circa medium rei, sed sola iustitia; quia in sola virtute iustitiæ idem est medium rei, quod est medium rationis; in aliis virtutibus non est idem medium utrumque; nam in temperantia, quod est in milone medium, alteri viro imbecilli est superabundans.

C Colliges primò ex Philosopho sub finem capituli 6. virtutes ita esse mediocritates, ut sint etiam extremitates; si enim sumantur ratione obiecti, quod respiciunt, siue ut loquitur Aristoteles, substantia & ratione, quid est dicente, mediocritates sunt; at optimi respectu & bene se habentis, id est ratione contrarietatis, quam cum vitiis habent, sunt extremitates.

Colliges secundò, in quibusdam affectibus & actibus nullam esse posse mediocritatem, sed semper in his malè agi; sunt enim affectus quidam & actus, qui continuò cum prauitate connexi sunt, ut malevolentia, impudentia, invidentia, adulterium; hæc enim vniuersa, & alia huiusmodi sic dicuntur, quia ipsa sunt praua, sed non exsuperationes ipsorum & defectiones; propterea circa illa nullum est tempus rectè agendi. Et à priori ratio est, quia exsuperationis & defectionis non potest esse mediocritas; hæc autem sunt excessus vel defectus: ergo circa illa non est mediocritas.

§. III.

Integra definitio virtutis moralis.

Aristot. lib. 2. cap. 6.

E Constituto genere virtutis, & propria eius differentia, facilis est definitio integram eius naturam explicans. Duas assignat Philosophus eo capite. Prima omni conuenit virtuti, altera solius virtutis moralis propria est.

Dico primò, rectè definiri virtutem in genere, *Qualitatem qua bonum facit habentem, & opus eius genere definitio.*

Probat Aristoteles, quia in omni re illud dicitur eius virtus, quod reddit bonum habentem, & opus eius bonum. Oculi namque virtus, & oculum, & opus ipsius facit studiosum; quippe cum videamus virtute oculi benè. Virtus itidem equi studiosum efficit equum, & bonum ad currendum,

Z z 4 portandum

portandumque equitem, & expectandum etiam hostem. Quod si id ipsum se habet in vniuersis, ut virtus etiam hominis, habitus is erit, à quo bonus efficitur homo, & quo bene suum opus ipse reddet, efficietque.

Virtutis
moralis de-
finitio.

Dico secundò, rectè definiti virtutem moralem, *Est habitus electivus in mediocritate consistens, eà quæ est ad nos definita ratione, & ut prudens definitur.* Vbi habitus ponitur loco generis, reliqua locum habent differentia.

Primò enim habitus dicitur electivus, quia electio adequatus est actus virtutis; non significat autem hoc loco electio illam duntaxat actum voluntatis, qui est circa media, sed quemcumque actum voluntatis, quo vnum alteri præferatur, siue illud medium sit, siue finis; voluntas enim nunquam liberè agit, quin eligat, id est præferat vnum alteri; actionem v. g. cessationi ab actione. Quando ergo virtus dicitur habitus electivus, significatur illam esse habitum voluntati deservientem, pro ut operatur liberè præferendo vnum alteri, siue præferat vnum medium alteri medio, siue præferat vnum finem alteri fini.

Secundò dicitur in mediocritate consistens, eà quæ est ad nos definita ratione, id est non in medio rei, quod apud omnes semper est idem, sed in medio rationis, quod est medium respectu nostri. Denique additur, ut prudens definitur, quia proprium prudentiæ munus est determinare medium pensatis omnibus circumstantiis. Aliæ omnes virtutis definitiones cum allatis coincidunt. Dicitur v. g. ultimum potentia, quia est illud ultimum, ad quod potentia pertingere potest, ut plenè perficiatur. Addenda est & altera definitio Augustini, *Virtus est bona qualitas mentis, quæ rectè vivitur, & quæ nemo malè vivit.*

SECTIO II.

Diuisiones virtutis.

Aristot. 2. Ethic. cap. 7.

TRadita virtutis quidditate, sequitur ut partes assignentur, in quas diuiditur. Multipliciter autem diuiditur: primò in acquisitam & infusam; quæ diuisio pertinet ad disquisitionem theologicam, & hoc loco penitus omittendam: secundò in intellectualem & moralem, de qua dictum aliquid est in Physica: tertio diuiditur virtus moralis in quatuor principales, seu Cardinales, de qua dixi etiam in Theologia: quarto Aristoteles diuidit virtutes specialiter in eas quæ dirigunt affectus, res externas, & conuersationem humanam: quinto alia quadam sunt diuisiones virtutis allatæ à S. Thoma, & à Philosopho.

S. I.

Diuisio virtutis in intellectualem & moralem.

Aristot. lib. 1. Ethic. cap. vi.

Virtutis vni-
uersalissime
sumptæ di-
uisio.

Dico primò virtutem vniuersalissimè sumptam rectè diuidi in intellectualem, quæ pertinet ad intellectum, & moralem, quæ voluntatis propria est.

Ratio est, quia virtus vniuersè sumpta est habitus indefectibiliter attingens bonum potentia rationalis: si ergo attingat verum, quod est bonum potentia intelligentis, erit virtus intellectualis;

si autem attingat indefectibiliter honestum, quod est bonum potentia rationalis, virtus erit moralis: ergo recta est diuisio virtutis in moralem & intellectualem.

Definitur autem 6. Ethic. virtus intellectualis, per quam anima dicit verum affirmando, aut negando; dicit, inquam, indefectibiliter, idèque suspicio & opinio cum versentur sapientissimè circa falsum, virtutes non sunt intellectus.

Ars & prudentia virtutes sunt intellectus, & Aristoteles attingunt indefectibiliter verum; nam tamen ad iuncta interdum habeant iudicia falsa, ut cum das eleemosynam illi quem prudenter iudicas esse pauperem; cum architectus ex arte iudicat lignum aliquid esse tali loco reponendum, ignorans naturam illius ligni quod est impar sustinendo oneri; iudicia tamen illa non proveniunt ex ipsis habitibus artis & prudentiæ, seu ex earum principis; sed ex aliqua prævia operatione falsa, ut in exemplis allatis patet. Nam in priore iudicium prudentiæ supponit iudicium vnum speculationum falsum de paupertate alicuius, sed supposito eo iudicio falso, iudicium prudentiæ verissimum est. Eadem ratio est alterius exempli. Consistunt ergo semper ars & prudentia in aliquo iudicio vero, licet possint supponere aliquid iudicium falsum, quod tamen non provenit vquam ab ipso habitu artis, aut prudentiæ, nec ex earum principis; opinio autem & fides non sunt huiusmodi, quia proprius earum actus esse potest error.

Differunt ars & prudentia inter se, quod ars versetur circa res factibiles, prudentia circa res agibiles, id est ars circa res externas, prudentia circa solos mores. Differunt à scientia, intellectu, & sapientia, quod ars & prudentia versentur circa contingentia & singularia; scientia, intellectus & sapientia circa vniuersalia & necessaria.

Virtutem moralem nupet definiui, sed dupliciter tamen sumi potest: primò pro virtute formaliter morali, quæ solius est voluntatis: secundò pro virtute materialiter morali, cuius videlicet obiectum materiale sunt ipsi mores & humanæ actiones; quo modo prudentia est virtus moralis, quia ipsius est dirigere mores, seu actus, quos eliciunt aliæ virtutes voluntatis. Et hæc est propria ipsius materia.

S. II.

Diuisio virtutum in quatuor Cardinales.

Dico secundò, benè diuidi virtutem moralem in quatuor cardinales, siue principales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Ita docent Theologi omnes communiter, & Philosophi; dicuntque cum Augustino illa esse flumina quatuor exeuntia à paradiso, ut vniuersam terram irrigent: cum S. Nilo, illas esse quatuor particulas diuini thymiamatis: cum Gregorio, illos esse angulos quatuor ædificij spiritualis, vel etiam Seraphinos quatuor Dei curam trahentes: cum aliis, quatuor cœli plagas, quatuor elementa gratiæ, Dei quadrigam, & cætera.

Primò ergo, quod recta sit hæc diuisio, probatur, quia illa virtutum diuisio est recta, cuius membra diuidentia verè participant rationem virtutis: quatuor illa membra verè participant rationem virtutis; nam ut homo rectè se habeat, debet ratio eius esse rectè composita in seipsa; quod fit per prudentiam; & erga partem inferiorem, quod fit per fortitudinem & temperantiam; & erga